



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IV. An teneatur restituere, qui alium impedivit à consecutione
alicujus boni?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM IV.

*An teneatur restituere, qui alium impedi-
vit à consecutione alicujus
boni.*

Resp. Attendendum, an lædatur jus alicujus, quod à natura, lege, vel aliter habeat? & an per vim, fraudem, calumniam, & mendacia quis alium impedierit: num vero aliter. Inde enim apud *Laym. l. c. & Bon. q. 2. p. 12.* resolvuntur sequentes Casus.

I. Qui alterum impedit à consecutione rei debitæ ex justitia, tenetur ad restitutionem. *Less. c. 12. dub. 18. Fil. t. 32. c. 3. q. 12. n. 72.*

II. Si res non erat debita ex justitia, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, & calumnia callorem inducit, ut v. g. officium, vel legatum, beneficium Ecclesiasticum, & similia dona gratuita non conferat, cui apud se constituerat, aut qui petierat, sed vel nulli, vel alteri etiam minus digno: etsi sæpè is possit graviter peccare, præsertim si id ex odio, vel alio malo fine faciat, non tamen tenetur ad restitutionem. *Azor. 3. p. l. 4. cap. 9. V. usq. Sa. Bonac. p. 12.*

III. Si in re prædicta ex libera voluntate conferenda quis per vim, fraudem, vel calumniam, collatorem induceret, ne ei daret, aut eum à petitione (cùm quis habeat jus petendi) aut à consecutione talis rei, per vim, fraudem, calumniam, vel mendacium impediret (cùm etiam quis jus habeat

habeat ne inique impediatur) is teneretur ad compensationem damni, arbitrio viri prudentis, juxta certitudinem vel probabilitatem, qua alter tale bonum alioqui assecutus fuisse existimaretur: dummodo tamen eo sit dignus; nam si indignus est, non teneretur ad restitutionem, nisi famæ, si eam fortè læserit, *Less. l. 2. cap. 12. d. 18. Molin. rom. 1. d. 135. Sa. V. Restitutionum. 217. Bonac. lc.*

DUBIUM V.

Cui, vel quibus restituendum?

Resp. Attendendum ad naturam justitiæ, & quis damnum patiat, quidve ratio & leges ferant communiter, *vid. Less. & Laym. hic c. 9.* Unde resolves.

I. Quando bona restituenda, sive debita quæcunque, sunt incerta, hoc est, cum cui debeantur ignoras, aut adire non potes, aut illis restituere, tunc si ea habeas sine delicto, ut si invenisti, vel à mercatore v. gr. per errorem accepisti duas ulnas panni pro una, & jam is discessit, nec scis quo abierit, teneris adhibere aliquam diligentiam inquirendi, postquam si spes non sit sciendi dominum, probabile est quod non tenearis ea dare pauperibus, (licet ita pleriq; cum *D. Thoma* sentiant, & sit magis pium ac practicè suadendum) sed possis tibi retinere, ut docet *Petrus Navarra*, quem sequitur *Laym. hic. & Less. l. 2. c. 14. dub. 7. n. 48.* idque *Diana p. 2. t. 3. m. R. 5.* dicit esse tutum in praxi. Si verò ea habeas ex delicto, ut furto, usura, &c. teneris ea restituere paupe-